

Sambuciq. ferens (ad quorum species est fortassis referenda, nisi quis malit ad Vitis syluestris species pertinere) sed minime ferrata; umbellas Sambuci, e flo- sculis aggeratas orbicularibus, & pallentibus, interdiu (vt ferunt) contractis, & hiantibus noctu, vnde acini sunt racematim dependentes, initio virides, deinde coccinei, & tandem purpurei. radices verò resinosi saporis, glutinosas, & gustus nonnihil odori. Nascitur *Chapultecci* non procul ab vrbe Mexicana, mon- rosis, editisq. locis, nec non in vallibus, planisque. Floret Iunio. Calida, & sic- ca ordine secundo constat natura, & sapore amaro. tumores apposita discutit, aut maturat, & rumpit. quibusdam epota ex aqua sudorem euocat, & alijs al- ium ciet. puluis eius medetur inspersus vlcerebus insanabilibus. & confert scabiei lepræq. Auxiliatur etiam resolutis, & vterino affectu laborantibus. Sunt qui edant folia frisa expresso prius succo medicinae gratia, asserantq. ita corpus extergere, atque impinguare, & vt carnem instaurat exesam, & casu aliquo exhaustam, sic superuacaneam citra vllam noxam sensumue doloris, corro- dere, & absumere. vanos tumores pellere pectori imposita folia. & syncopen inde profectam tollere.

De *CATOLIZAN*, seu *TEPOCAN*. Cap. XXXI.



ARBOR est *Catolizan* mediocri- magnitudinis, Folia ferens Saluiae, sed maiora, à quibus apud nonnullos indi- genas Hispanos inuenit nomen, inferna parte subalbida, & supernè virentia, pingua, & Verbasci modo hirsuta, lubricaque. Flo- rem in postremis ramis modicum, ac lu- teum, & in Corymborum formam veluti compositum. Odorata arbor est, & calentis naturæ, thus citra distinctionem vllam re- dolet. Calidis regionibus (nam in his quoque aliquando prouenit) minoribus ornatur fo- lijs, latioribus verò temperatis, etsi vbiq. nascitur, neque vllum refugit solum, fertile maximè, & humectum. Ius decocti corti- cum, stipitis, atque radices ebibitum vterinis confert affectibus, ac vuluam proprijs resti- tuit sedibus. vrinam euocat, emundatq. cor- pus. Ipsæ verò radices, corticesuè, aut folia imposita tumores præter naturam dissipant, aperiunt, atque extergunt, velut & quæ- cumque alia vlcera, vstionibusq. medetur.

De



De *NANAHUA* seu *VAHVITL*, seu morbi Gallici arbore. Cap. XXXII.

ARBOR est magna *Nanahuqua- huil* comata, & excelsa, folia fe- rens Oleæ similia, paulisper odorata, ama- raque. Decocti ius matutino liberalius ebibitum, Gallico medetur morbo. na- scitur temperatis, humidisq. *Hociaco-* corla locis.

Fructus è Trunco enatus racemos oblon- gos componit, cuius pediculus quidem ru- bet, bacca vero sunt virides, flos in ima- gine non conficitur.

De *QVAVHTLEPATLI*, seu *Arbore Ignea*. Cap. XXXIII.



QVAVHTLEPATLIS, quam Miquahanenses *Chupireni*, seu *plati* tam *Igneam* vocant, arbor est, Lauri effigie spectabilis, folia ferens oblon- ga, maiora, latioraque quam Amygdali; flores in rosam conformatos. eamq. arbo- rescentem fruticem esse dicimus, quem Dioscorides appellat *Rhododendron*. Lac fundit vrentis naturæ, & tamen aiunt Indi, quatuor obolorum mensura deuoratum, perquam commodè vacuare pituitosos humores cachecticorum, gallicamq. lucem patientium, atque hydropicorum. præci- pue si à frigida causa talis euenerit mor- bus. Verum ego non crediderim, vehe- mentissimum istud medicamen, citra no- xam intra corpus posse assumi. Quam- obrem commodius adhibebitur (quod & Indi experimento testatissimum esse di- xerunt) vmbilico modica quadam por- tione, atque ita quoque purgabit corpus.

Cuta-

Cutaneis etiam infectionibus, quales sunt Lychen, lepra, scabiés, ophiásis, & impetigo, præsentaneo est remedio. Huexorzincenses vti solent eo pharmaco duarum drachmarum penè pondere aduersus febres interpolatas. Nascitur apud Michuacanenses, & Ocopetlayuacenses prope humentia, & aquosa loca. vbi parum absuit, quò meo postremo malo lac eius degustauerim.

Nerium in orbe nostro, quantum quidem lectione, vel auditione cognoui, nullum lac fundit, quamuis congener sit, Apocyno, in quo maxima est lactis copia, vnde humiditati congruoq; calori Mexicana Prouincia id adscribendum fuerit.

Potius hoc medicamenti genus, etsi apud nos venenum habeatur, tamen & suum usum habet, si debito modo adhibeatur non plus certe periculi ab eo imminet, quam à lacte Esule, vel Scammonio, Ricino Americano, Mezereo, quibus tamen innoxie vti-mur, debitis cautionibus obseruatis. Nec si bestias necant continuo, & homini venena sunt suam Vánica Nux. canes typosq; interficit, homini vero ad multa incurabilia remedium est, sic & Asclepias, Apocyni species magnum habet usum in Hydrope alijs-que morbis.

De QUAVHYTAC, seu Arbore Fætida. Cap. XXXIV.

ARBOR est magna Quauhytac, Mali Medicæ folia ferens, sed tamen acuminata. cortex adstringit, grauemq; odorem spirat. Nascitur Oculis saxosis locis. calidaque & sicca constat temperie. fluxum alui coercet, ac elicit sudorem. naribus instillatus succus sternutamenta excitat, caput purgat, atque ita febres tollit, & capitis arcet dolorem. quarum rerum gratia in annuos vsus recòndi consuevit.

Flore Coc-
cingo.

Flore can-
dido.



De XILOXOCHITL. Flore Capillaceo. Cap. XXXV.

XILOXOCHITL, seu flos Capillaceus, arbor est visendæ pulchritudinis, & naturæ. flores coccineos, in capillamentorum formam aptè compositos ante exortum foliorum (quæ obrotunda sunt, virescentia, & quina) proferens è quibusdam veluti glandibus pululantes, quamquam sunt, quæ candicantes proferant. Prouenit in calidis Quahcocolanij, multisq; alijs eiusdem temperiei locis. Cortex radicis leuigatus, vlceribus gingiuarum opitulatur. vrinam, ex aqua absumptus, educit. renes, & vesicam à sanie, & quibusuis alijs obstruentibus excrementis emundat atque abstergit. & præcipuè si puluis

Xoco-

Xococoyoltzin peni immittatur. Est autem saluosa, & frigefacientis temperiei, saporisque & odoris ferè nullius.

De CACAPOLTON. Cap. XXXVI.

ARBVSCVLA est Cacapolton folijs Cerasi, aut Capolis, stipite purpureo. Floribus in extremis ramis caruleis, vnde fiunt acini ciceribus pene pares, primo coccinei, ac tandem è purpureo in nigrum vergentes. Folia sunt frigida, & adstringentia. repellunt præter naturam tumores, dyartheas compescunt, febribus aduersantur, & medentur vulneribus. succus foliorum, acinorumque, curat inflammationes oculorum. nascitur Ocoituci, & Quauhque-culla, nempe temperatis, & calidis regionibus.

De TZQVIXOCHITL. Cap. XXXVII.



YZQVIXOCHITL, seu planta ferens florem similem granis Maizij, quæ igni apposita crepuere, arbor est excelsa, folia Mali Medicæ ferens, florem Cynorhodi formam referentem, nostratisq; rosæ saporem habentem. aspectu pulchra est, & florum odoratissimorum gratia, expetita ab omnibus, & dignissima quæ, nisi amaret loca calidiora, exornaret hortos Philippicos. Nascitur Quauhnahuacensibus agris Hoaxtepecensibusq; lætius verò in cultis locis. Temperies est aliquantulum frigida, & adstringens. calidas amat regiones, etsi in frigidis quoque regum diligentia, humanaq; descenderit industria. ac toto floret anno. flos applicatus dentium dolores sedat. ingestus medetur fatietati, & pectoris morbis, coctionemq; iuuat & miscetur portioni Cacaoatl commendationis halitus gratiæ.

De

TLALAMATL
Arbor Vomitoria.



De CHATALHVIC Cassia Siluestri. Cap. XXXIX.

Cassia Brasiliana?
Collector.



De TLALAMATL. Arbore Vomitoria. Cap. XXXVIII.

ARBOR est *Tlalamatl* Salviae folijs pinguioribus, & mollioribus. Floribus spicatis, paruis, & coccineis. ex quibus procedente tempore acini producuntur. Nascitur in frigidis, floreque Febuario, & accolae *Quaubtlamatl* vocant. Folia tusa, & pugilli mensura deuorata ex aqua, dicuntur humores omnes, leniter & citra molestiam vllam euacuare per superna. & tamen frigida, adstringentique, & glutinosa videtur constare natura. aiuntque, radicem leuigatam & insperfam, vlcerebus mederi.

Tlalamatl vt ex imagine hic exposita conijcitur, videtur species esse leguminis folia quidem terna, vt in *Phaseolis* flos *Vicia*, siliqua vt in *Securidaca* arborea ex castaneo colore rubescentes.

CHATALHVIC, quam alij *Cacaocost*, alij *Cassiam*, alij fistularem vocant, arbor est magna, ramosaque & perpetuo virens. stipites proferens tectos fulua lanugine, folia, verò, quae per modica eorum interualla prodeunt, Limoniae folijs, aut Cassiae fistularis similia, sed longiora, & inferne candentia. luteos flores, & fructum, nisi tenuior & asperior esset ac dulcis cortex, parem. Prouenit iuxta fluminum ripas agri *Xocotepecensis*, & *Pumecensis*. Cortex, qui calidus & siccus est ordine quarto, pulloque & candido variat colore, redactus in farinam, & deuoratus ex aqua maritimo duarum drachmarum pondere, vacuat per superna atque inferna bilem, & pituitam. lumbricosque ac vermes, si qui forsitan in corpore sunt, pellit. egregium habetur ab indigenis

nis pharmacum. Idem cortex permixtus *Axin*, & applicatus post aures, tollit earum dolorem. fructus cortex, qui dulcis est, ac Cassiae medullae saporem referens. eodem modo atque pondere deuoratus, purgat bilem atque pituitam. aluum emollit, ac ventrem leuiter soluit. Idem tritum, & infusus aqua (si peccen ex ea aqua tingatur) capillos breui instaurat, ac prolixam caesariem efficit. Semen verò intra fructum contentum, tritum atque ex aqua deuoratum placat febres. Quae omnia mille patuere experimentis.

Huius meminisse *Monardes* cap. 44.

De NVXIS INDICAE, ET COCCI vocati arbore. Cap. XL.



NVX Indica, quam vulgus Indorum *Maron*, Strabo verò (vt quidam voluit) *Palmam* vocat, à Mexicenis *Coyolli*, à Lusitanis ob oculos quosdam *Cercopitheci* similes *Coccum*, à vulgo verò *Perfarum*, & Arabum nuncupatur *Harel*. Arbor est vasta, *Palmæ* magnitudine, & figura, in cuius genus citra dubium est referenda. materie densa, fungosa, leui, & ferulacea. fructu orbiculari, aut paulò oblongiore. capitis humani amplitudine, duplici contento cortice, externo villosa, interno nitido. præduro, & nigri coloris vt inferius latius dicitur, racematim dependente, ac menstruo, sed intra trium mensum spatio maturefcente, interdumque septem, octouè, racemis centum sexaginta libris pendentibus arborem suam onerante: Cuius duo sunt præcipua genera, alterum fructui ferendo, alterum verò liquori euocando, idoneum.

Fructifera.
Liquoris.

Nascitur passim apud orientales, & iam quoque apud occidentales Indos, ac præcipue maritimis, arenosisque locis. feruntur nucibus, & inde enate transferuntur plantæ, atque ita breuissimo spatio adolefcunt, exhibentque fructum. præcipue si diligenter colantur, & celo gaudent feruido. hyeme etiam & cinere, & stercore inspergi volunt, & æstate aqua. ampliores tamen proueniunt iuxta ædificia, nam videntur puluere, & luto gaudere. In noua hac Hispania non vnicum obseruatur harum *Palmarum* genus, diuersaque alia genera obseruantur in alijs locis. Aliud namque littoribus australis pelagi prouenit, fructum ferens longè minorem prædicto eisdem tamen, vt existimo, facultatibus. sunt & *palmæ* pumiliones apud *Philippicas Insulas*, vt à viris fide dignis accepti, quæ vix è terra erupere cum edunt fructum. sunt & alia vocata *Babei*, & alia, quas *Sacfac* vocant. re-

Minore fructu.
Palmæ Pumiliones.

Babei.
Sacfac.

peritur

peritur & altera Nux, quæ Coccus de Maldiuâ appellatur, de quo latius inferius tractabitur.

Vniuersæ penè descriptæ plantæ partes, sunt vñibus humanis aptissimæ. nam ex ligno fouentur ignes, splendentq. foci, fabricantur apud nonnullas nationes naues, nauiumq. tabulata, clauî exacuuntur, aptantur mali, construunturq. ædium tecta. Stillat succus ex tenerrimis huius germinibus atque racemis circa postrema flagellatis & incisis, qui excipitur fistulis arundineis, vasise alijs, ac vsurpatur pro vino prima die suavis, tribus aut quatuor sequentibus inuicundus, ac deinde prorsus superuacaneus, & inutilis, semper tamen ingratus, virus olens, crassos humores & flatum generans, modiceq. humectans, & calefaciens, & vino nostrati mitior, ac minus feriens caput si vasculis quibus excipitur nihil infundatur quod temulentia sit causa, qualis esse solet *Mangla*. Aiunt autem, id geni vinus phrysicis mire conferre, adeoque esse opportunum vrinæ, renumq. virijs laborantibus, vt vix sit in Philippicis Insulis quemquam offendere, siue ex indigenis siue ex nostris, similibus morbis affectum, emundatis ea potione his partibus, comminutis expulsisq. lapillis. & tamen lædere, aiunt eos, qui obstructione lienis præcipuè laborant, ac hydropem patiuntur. Ex hoc vino insolato, aut alicubi seruato per octo decemq. dies, acetum fit acerrimum, sed quod nostrate minus exiccat, ac admotum igni statim omnem acrimoniam amittat. Quamobrem ferculis iam refrigerentibus admiscetur. durat diutius, sed aqua admota, quam celerrimè euanescit, atque corrumpitur. Ex eodem vino carbonibus imposito spissatoq. paratur mel, ac saccharum adeo suaue, vt à multis, præcipuè indigenis, vero saccharo, ac melli, quibus abundant, præferri soleat. Calida humidaq. constat temperie, gustuiq. gratum est, diu incorruptum permanet. mollit pectus, grauedini confert, ventriculorum cerebrumq. roborat, coctionemq. iuuat. Nux verò binis regitur corticibus, nempe externo, qui villosa constat natura, ac veluti cannabini, stupeisq. filamentis intexta in dulci harum Palmarum genere, circa initia eduli, & Cinaræ spiniferos respiciente acanthos, sed dulciori, & minus adstringente, aptissimoq. cohibendis diarrheis, fatietati curandæ, & ventriculo instaurando. Ex hoc eodem cortice parantur peropportuna lychnia inflammando bellicorum instrumentorum pulueri, nauium funes, & rudentes firmissimi, & falsi humoris iniurijs quamminimè obnoxij. materiesq. stupea præstatur tabularum compagibus infarciendis, & quæ madens intumescat, arctiusq. obstruat rimas, impetumq. maris commodius arceat. Interno altero cortice prædicta operitur nux, nitido, præduro, & nigri coloris, parantur ex eo vasa pulcherrima, auroq. & argento exornantur, vtq. fama sit, saluberrimum reddere potum, ac paralyti, neruisq. corroborandis, (vtcumque se res habeat) valde conferre. Subest callus, nucleusq. candidissimus, edulis, ac sapore referens amygdala dulcia. ex quo contuso atque expresso, lac extorquetur citra ignis operam, vtilissimum necandis vermibus, ac lumbricis, si octo vnciarum pondere, (addito sale) matutino assumatur, & præcipuè à pueris, alijsq. natu minoribus. Miscetur quibusdam cibarijs parandis, veluti Orizæ, candido vocato ferculo, & similibus. verum crassum veluti & ipsa medulla

præbet

præbet alimentum, & concocti difficile, pituitamq. multiplicat hominibus in quibus abundat, nec tantillum delata noxia; cum tamen robustis, atque illius alimoniam assuetis nihil inferat mali, veluti experimento compertum est in his qui Latronum insulas colunt, quibus est præcipuum nutrimentum. & venerem impensè excitat. Idem nucleus solet delibrari, secariq. in frustra, atque ita in loca apud quæ non prouenit, vendendus deferri. loco enim Castanearum in vsus reconditarum editur. quin ex ramentis nuclei (addita aquæ opportuna mensura) seruè factis, ac multum agitatis, oleum supereminere solet, parandis ferculis, dum recens est, non inutile, Medicinæ verò vsibus aptissimum. dulce est, liquidum, splendidum, & oleo amygdalarum dulcium non dissimile gustu. calida, humidaq. temperie constat, & sex, octoue vnciarum mensura epotatum, addita interdum aqua vbi Thamarindi aliquamdiu maderint, ventriculorum, intestinaq. leniter purgat. & humores, præcipuè melancholicos, atrabiliososq. & pituitosos vacuare solet; cum tamen nucleus alium dicatur coercere. verum recens extractum oportet assumi. Dolorem sedat, & præcipuè ortum à frigida causa, & vulneribus mire opitulatur. nam & sanguinem sistit, saniem extergit, coercetq. dolorem, & tandem cicatricem inducit. oleo vocato Aparitij est efficacius. quin pectus lenit illitum, purgat insulum, & alia huiusmodi innumera præstat auxilia, quæ difficile possent singulatim recenseri. sed ex frustulis, quorum superius meminimus, extrahitur oleum vtile lucernis, Orizæ parandæ, neruis contractis laxandis, articulorum doloribus antiquis leniendis, & necandis lumbricis vtilissimum. Nec prædictos solum hæc arbor præstat vsus, nam vnaquæque nux continet intra se liquoris candidi, sero lactiue similis, trium ferè librarum mensuram, sibi, febribusq. extinguendis, calorig. contemperando idonei, medendisq. & extergendis oculis, carni eorum absumendæ, & emundandæ mulierum cuti. eadem aqua frigefacit, & humectat. emundat sanguinem, ventriculorum, & vias vrinæ purgat, sedat dolorem inflammatis oculis, medetur pectori, ac pergrato constat gustu. maxime æstuantibus, ac sitim sentientibus etsi sudore perfundantur, & quantamlibet assumant copiam, etiam matutino, & ventriculo adhuc vacuo, minime videtur officere. plurimum præbet alimentum, & aduersus biliosas febres est potio mirabilis. Quin etiam quæ die Pharmacum bibitur assumi potest, etsi flatum generet, sitq. ventriculi laxitatem patientibus, aut diarrhæas merito vitanda. Eduntur germina, capitæ harum Palmarum, quæ suauissima sunt, sed cum certa arboris iactura. iuxtaq. suborientia folia non omnino sunt superuacanea. eis enim vinum Palmarum percolatur, vicem præbentibus coli, ac calceamentorum interdum parantur soleæ. De Cocco autem, quem de Maldiuâ appellant, ita sentiunt. Maldiuas Insulas aliquando continentem fuisse, inundatione tandem submersam, has restitisse insulas, in quibus Palmæ fuerint obrutæ, quæ hos protulissent Cocos, qui terra indurati conspiciuntur. An verò plantæ differant à nostris, cum nemo truncum aut folia inspexerit, certo quis asserere nequit. soli namque Cocci, nunc singuli, nunc bini coniuncti in littus ciciuntur, quos nemini colligere licet, nisi cum capitis periculo, eo quia ad Regem pertinet quicquid

Oleum
& eius
vires.

Aliud
Oleum.

Liquor
Cocci
&
eius
vires.

Coccus
de
Maldiuâ.

è mari in litus eicitur. Inueniuntur autem ipsi Cocci interdum exigui, figura ouali, magna ex parte nigro, ac nitido cortice contecti. medulla, seu pulpa interior, quæ siccata dura est admodum, & candida, ad pallorem tamen inclinans, in superficie rimosa est, nimisq. porosa, nullumq. saporem habens. Magni est huius Cocci vsus, præsertim pulpæ ipsius, apud earum infularum indigenas aduersus venena. aiuntq. aquam in vasis ex hisce nucibus paratis aliquamdiu contentam, ac conseruatam, adiecto medullæ momento, ad colidolores, pulsa causa per vomitum, assumptam, esse vtilem, nec non ad paralysis, Epilepsiam, aliosuè neruorum affectus. Vltimone hæc medulla siccata reperitur venalis, magno tamen pretio, ibique magni æstimatur, omnibusq. alijs Alexipharmacis præfertur. Huius medullæ ad decem granorum pondus, cum vino, aut aqua, pro morbi natura exhiberi solet. et si eius vsum nullius esse momenti, aut parum conferre quotidie experiamur.

Quamuis auctor susus sit admodum in hac arbore, eiusq. vsibus describendis, non tamen erit abs re si lector consulat Garciam de Nuce indica, & Clusij in eundem notas.

De ACHIOTL, seu Medicina tingendo apta. Cap. XLI.



ARBOR Achiotl vocata, ab alijs Chacanguarica, ab alijs Pumaqua, magnitudine est, stipite, atque omni prorsus forma Mali Medicæ, folijs vlmeis figura, asperitate, & virore similibus. colore extrinseco corticis, trunci, & ramorum, fuluo; intrinseco in viridem magis inclinante, & ligno ipso aculeato, & candenti. floribus magnis, stellatis, quinum foliorum, ex albo rubescentibus, & fructu erinaceis simili, amygdalarum viridium, paruorumq. forma & magnitudine, quatuor modicis distincto angulis, qui secundum longitudinem discurrunt. Hi cum maturi sunt, dehiscunt, ostenduntq. intra cavitatem grana quædam acinis vuarum forma similia, admodum rubescentia. Prouenit calidis regionibus qualis est Huixocensis, locis potius siccis quam humidis. Frigida est ordine tertio, & nonnullam siccitatem adstrictionemque participat. Indi maximi æstimant hanc arborem, atq; ideo eam iuxta domicilia serere consueuerunt. folia fert toto anno, ac fructum vere edit, quo etiam tempore coligi solet. Materies utilis est igni veluti è silice excitando, si lignum ligno fricetur; cortex verò funibus texendis, qui sunt cannabinis firmiores. ac semen pictoribus coccineo colori exprimendo; innatans liquori æque frigido non minus vtile medicis. extinguit enim eporum aut admotum, febrientium incendia, opitulatur dysenterijs, repellitq. tumores præter naturam. quo fit, vt

Epi-

Epithematis frigorificis potionibus, vocatis Iulapijs, & quibusuis in frigidantibus cibarijs, & medicamentis misceri perquam commode possit. additur semen Cacaotl refrigerij gratia, commendandiq. saporis atque coloris. dentium dolores à causa calida ortos lenit, corroborat, euocat vrinam, sitim extinguit, ac Croci apud aliquas gentes gerit vicem. Excipiunt parando pigmento granam maturatione, ac in calentem aquam proiciunt, agitantq. continenter eodem modo semper, donec totus penè color aquæ hæreat. permittunt demum substere, & in placentulas efformant eodem penè modo, quo diximus Anil, seu Mohuitli parari, & Xiquilit, vt cum opus sit in vsus euocentur. Est verò adeo tenax hoc pigmenti genus, vt semel illitum, vix et si vehementer extergas, possit deleri, vrinæ autem permixtum sit indelebile. Adstringit non nihil. ideoque cum resina permixtum medetur scabiei, atque vlcerebus, ventriculorum corroborat, fluxum alui cohibet, lac auget permixtum crustis Cacaotl, quem reddit innoxium quacunque mensura bibatur, eius siquidem gratia, faciliè, ac citra fatietatis incommodum solet concoqui.

Fructum huius arboris exhibuit Clusius exoticorum lib. 3. cap. 19. & arbor. m. re. Et conijcit esse Bixam Ouiedæ, à colore quo Indi se tingunt, ita dictam ab Ouiedo. eadem arbor etiam à Iulio Scaligero descripta fuit, folio Pruni, fructu qualis Castaneæ, cum erinaceo in quo coccus ruber. & quia nomen ignorabat, arborem finium regendorum appellauit, quod eo colore. Mexicani fines prædiorum in tabellis depingunt.

Modum excitandi ignem mutua lignorum attritione describit Ouiedus lib. 6. c. 6. historie naturalis. speciem autem ligni non nominat.

Que vero ligna apud nos attritu ignem concipiant, doctiss. vir & in natura arcana perquirendi: solertiss. Io. Bapt. Porta Lynceus lib. 12. sue nat. Magia c. 1. ab eundem docet.

De Palma Babei COYOLLI dicta.

Cap. XLII.



COYOLLI arbor est stipitem fundens tenuiorem, breuioremq. Indica Nuce, & columnæ forma, fructumq. ante foliorum diuisionem cubiti vnus interuallo è viridi fuluescentem, qua pingitur forma, magnitudineq. Pyri paræ, cortice obductum crasso, calidum densum, durum, candidis punctis interstinctum, & è rubeo colore in nigrum inclinantem, intra se continentem. qui adstringentis est gustus, roboransq. Gestant quintam partem illius glandis ore indigenæ, & quocunque se conferunt circumferunt, admixtam folio diuidio volubilis Buvo vocati, & calce conspersam. ventriculorum enim ita roborat, cerebrumq.

G 2

brumque, concoctioni auxiliatur, dentes firmat, vomitiones à frigore excitaras sedat, rubrificat labra, nutrit, & oris arceat fetorem. Nascitur in locis humidis, Philippicarum insularum.

De YCCOTL, seu Palma Montana. Cap. XLIII.

YCCOTL, seu Palma Montana, ab alijs *Quauhpopopatlis*, seu montana scopæ medicatæ dicta, arbor est fruticans, duos tresve ab radice stipites edens, folia longa, angusta, crassa, Iridis ferè similia, sed longè maiora, acruatim ab extremis stipitibus orientia. flores albos, odores, racematim dependentes, ac sex constantes foliolis, ex quibus generantur fructus strobolis similes. Nascitur in locis montanis cuiusq; temperiei. frigida arbor hæc, & glutinosa natura constat. quo fit, vt germina tosta, & in læuorem redacta, e potaq; è liquore quopiam adstringente cum Chia, aut Boloarmeno, dysenterijs mirè opitulentur, ac detineant abortum. Ius decocti foliorum, & radicis, medetur syncope, epotum eo tempore quo præsentitur inuasio. Sunt qui dicant satietati quoque mederi contractæ ab ægritudine aliqua, quod qui fiat, nisi roborato ventriculo, diuinare non possum. Non videtur silendum, è folijs huius arboris fila parari, linteis, storsiq; intendis perquam accommoda, politiora, firmioraq; eis quæ ex Med passim fieri consuevere, madentibus in primis aqua, mex protritris, ac lotis, iterumq; & iterum maceratis, & insolatis, donec apta reddantur, vt neri possint, & in vsu accommodari. materies est leuis, ac lenta.

De NOCTLI, seu Tunarum genere. Cap. XLIV.

ETSI planta illa, quam Haitini *Tunam*, Mexicani *Nozli*, & antiquiores (vt quidam decepi putant) Opuntiam, seu Pallam, arborem, aut Ficum Indicam vocant, nostro Orbi non paucis ab hinc annis innotuerit, ceperitque esse frequens in maximam admirationem, quæ sui, ob monstrificam formam, & crassorum, spinisq; horrentium foliorum portentosum nexum spectatores traxerit; tamen quoniam nullibi, præterquam apud Indos fructus perficiat, atque maturet, concoquatque, nec possit de ea alibi certius fieri iudicium quam vbi complet poma, & frequentissime in mensas tum ægotantium, tum bene valentium hominum venit, libuit omnia forma, toto penè iam orbi notissima, varias eius differentias numerare, facultates percensere, palamq; facere quæ amet loca, qua cæli regione gaudeat, quo tempore serenda sit, & quo fructum maturet, proferatq; flores. Sumuntur ergo Tunarum differentia interdum à floribus, qui iam crocei, albiq; per extrema reperiuntur, extra lutei, intra verò ipsius pomi colore, veluti in *Tlatocochli* est videre; iam, extra lutei, intra verò ex albo in Coccineum vergentes. & nonnunquam quoque lutei. sumuntur item à foliorum, arborisq; magnitudine, & forma. omnes enim in fruticis magnitudinem tantum attolluntur, si excipias *Cacanochli*, & *Xonochli*, quæ interdum quoque arbores sunt. Item à folijs, alia liqui-

Tlatocochli.

liquidem crassa sunt, alia tenuia; hæc spinis stipata, illa raris, breuibsq; horrentia; quadam rotunda, alia oblonga; & cum nonnulla maxima sint, alia admodum parua reperiuntur. sed potissimum ex fructu, vnde & nomina, quæ latius prosequemur. Sunt ergo Tunarum species quo adhuc nouerim, quæ in Mexicana prouincia reperiuntur, prima *Tzac nochli* vocata, quod albus fructus eius sit, folia fert rotunda, parua, leuia, rarisq; horrentia aculeis, florem luteum, fructum spiniferum, & candentem, & in fruticis attollitur magnitudinem. Secunda quæ *Coz nochli* dicitur, quod pallentem proferat fructum, folijs constat amplis, orbicularibus, multisque & prolificis, horrentibus aculeis, flore Coccineo per extrema pallescenti, & pomo luteo, ac raro. *Atlatocochli*, seu Tuna ex albo in rufum colorem inclinans, folia fert angusta, oblonga, impensè aculeata, & nonnihil purpurefcentia, quod est huic tantum generi peculiare, cum cæteris omnibus viridia sint; fructum item valde spinosum, florem extra luteum, intra verò ipsius Tunæ colore. Quartum genus *Tlatacochli*, idest Coccineum, folia fert tenuia, angusta, & oblonga, sed breuiora præcedentibus, ac minus spinosa, florem ex albo rubescentem, & paruum, pomum item non adeo spinosum, sed Coccineo, flammatoq; colore præditum. Quintum *Tzapochli* ob similitudinem quam habet cum fructu à Mexicanis vocato *Tzapotl*, folia fert squallentia, oui figura, quibusdam horrentia spinis, & flores in his luteos, ex albo in Coccineum colorem vergentes. *Çaçà nochli*, seu herbacea siluestrisq; Tuna in arboris magnitudinem attollitur, multis alis concaua est, folijsq; constans rotundis, paruis, & spinosis, siluestri fructu vix iuglandem nucem magnitudine superante, sed spinis horridiore, & pallidis floribus. Est & *Xocobo nochli* similis forma *Çaçà nochli*, sed tam folijs quam fructu acida, vnde nomen. Frigida sunt omnes ordine secundo, humentesq; (si excipias grana, quæ sicca, & adstringentia sunt) natura. sunt etiam frigida & humida folia, saliuosaque. quo fit, vt foliorum pomorumq; succus expressus, ardentes febres maximè extinguat, sitim expleat, & ærentia viscera humeficiat. Poma cum granulis loco cibi sumpta, aluum dicuntur sistere, præcipuè si calor fluxus causa sit. gratum præbet alimentum, refrigeransque, etsi statuosum, veluti & cæteri horarij fructus, obnoxium corruptioni, atque æstuantibus iucundissimum. quamobrem æstatis tempore commodius, audiusq; manditur, præcipuè ab his in quibus bilis, aut calida distemperies redundat. Gummi fert renum & vrinæ calorem temperans. succus, aut aqua stillatitia mirabilis est aduersus biliosas, & pestilentes febres, præcipuè si cum succo *Pitahaya* fructus miscetur. Honorem dedit huic pomo præcellens vir Martinus Henricus huius nouæ Hispaniæ Prorex præclarissimus, qui eius vsu frequenti à multis morbis ad bilem caloremq; atinentibus, quibus vexari solebat, est penè liberatus. Auxiliantur radices eius cum Hieranei quadam specie Enterocoelis. Erisipelatis medentur, ortum à febre calorem, aut alia quauis ex causa extinguunt, & icinori vehementer conalescenti remedio sunt. Folia eadem præstant. & decocta, parataq; cum *Chilli* in frigidorum esculentorum veniunt vsum. Vngunt Mexicenses Carpentorum rotas nitio motu æstuantis foliorum succo, atque ita peruri inflammarique prohibent. Radicem etiam

Tzacochli.

Coznochli.

Atlatocochli.

Tlatacochli.

Tzapochli.

Cacanochli.

Xocobochli.

etiam eius, quæ non nihil amara est, aiunt mirè vlcibus subuenire. Montanis, calidisq. magna ex parte locis proueniunt. & quamquam in frigidis quoque nascantur, in calidis tamen, aut temperatis saltem maturant fructum. florent primo vere, & fructum æstate cum cæteris arboribus proferre solent. Quouis anni tempore, sed vere maxime, defossis vtcumque folijs, aut pedibus conculcatis, proueniunt, nullaq. adhibita cura agunt radices, in iustamq. attoluntur magnitudinem. Ad Tunarum species pertinere videtur *Tetzuanalis*, quæ cum natura tum etiam forma similis esset, nisi brachia, caulesq. teretem formam & striatam fortirentur, & aliæ permultæ, de quibus fortasse distinctionis gratia proprijs tractabitur locis.

De *NOCHEZNOPALLI*, seu *NOPALNOCHEZTLI*, idest *Cocco Indico in Tunis quibusdam nascente. Cap. XLV.*



REPERIVNTVR apud Mexicanos in Tunarum quodam genere *Nocheznopalli*, seu *Nopalnocheztl* vocato hac sola ratione à pecorum armentorumq. iniurijs, quibusdam in locis natura munitis asserto vindicatoq. vermiculi rotundi, extra candidi, intra verò coccinei coloris, interdum sponte ipsius naturæ, interdum hominum industria atque diligentia, femina superioris anni stato tempore Tunis admoventium, quæ Indi *Nocheztl*, nostri verò *Cochinilla*, fortassis à *Cocco*, seu *Grano cuius species sunt*, appellare solent. Sunt qui diuersam rem, hos esse vermiculos arbitrentur. Verum etsi non me lateat, *Coccum* nostri orbis non *Tunæ*, quæ nullæ ferè ibi reperiuntur, sed *Ilicis* cuiusdam, quam *Cusculium* recentiores vocant, esse excrementum, folijsq. adherere, nec fructum esse, neque semen, ideoque facultate pollere minimè adstrictoria, eiusq. interna, præstantiæ & honoris gratia vocari *Chermes*, exteriora verò, quæ magis sunt vulgaria, adhuc *Græcam* nuncupationem mordicus tenuisse, quare allucinantur qui *Chermes* ab insectorio *Cocco* differre arbitrantur. Tamen cum vermiculi ex hoc excremento gignantur, quibus vt in his qui in *Tunæ* genere hoc, seu ex eius semine gignantur, aqua tingendi lanas coccineo colore natura sit atque conditio, & promiscuè sint huiusmodi vermes pictoribus tinctoribusq. viles, firmum habeo ad coccineum genus, vnde (veluti diximus) fortassis Hispaniense nomen emanauit, non minus ac eos quos vocatæ *Pampinulæ*, Teuerijsq. radicibus apud Peruios innasci fama est, esse referendos. Ergo ex *Nocheztl* pureus interdum, interdum verò coccineus, pro varia parandi forma, constat color. siq. exquisitissimus, si teratur ex aqua decocti arboris *Tetzuanal*, addito

Alu-

Alumine, atque subfedito efformato in placentulas. Adstringit ex aceto tritus, admotusq. in forma emplastri vulneribus opitulatur. cor, caput, atq. ventriculum roborat, ac dentes egregiè extergit. Purpurarum sanguine vta est antiquitas quibusdam in venis gutturis earum contento, dum lanas tingendas curabat, & Tyrio honore decorabat vestes, verum iamdiu eo medicamento vti desijt Orbis, eadem repetiturus cum libebit pigmenta, neque vnquam nouis inuentis satiandus, aut pedem aliquo in tempore fixurus.

Excrementa pluribus adnascuntur plantis, quæ deinde in varias insectorum species transmutantur. sic non tantum *Coccus* in *Ilicis* nascitur, sed etiam quæuis *Galla* in *Quercubus* intra se *Muscam* gignit. idem obseruare licet in *vesiculis Vlmis*, *Terebinthi* alijsq. plantis compluribus.

De *CACAUA QV AHVITL*, seu arbore *CACARI* Cacauifera. Cap. XLVI.



AT in *Cacaua Quahuil*, magna deteguntur humanæ sortis volumina. in veteri siquidem Orbe, perq. præca illa tempora, quæ vitæ hominum erant necessaria, atque adeo apud alios cum deessent quærenda, non rependebantur ære. nondum aureus argenteusue nummus circumferebatur, aut pecudum, Regumue, aut Principum simulacrâ metallis cernebantur insculpta. rerum viuebatur permutatione, vt olim factum cecinit *Homerus*, & fructuum quos recodebant facta alijs copia, mutuam ferebatur auxilium. tandem æra percussa, atque signata sunt, & mille rerum effigies numismatis impressæ conspiciuntur. at in nouum hunc mundum nunquam auaritiæ signa penetrauerant, aut caput erexerat ambitio, donec nostri, velis ventouè deuecti, imperum fecer. non vsque adeo splendebant illis argentum atque aurum quibus præcipuè abundabant; aurum pulcherrimarum plumæ, lintea quædam gossippina, & gemmæ, quæ ea fert affatim sua sponte tellus, erat diuitiarum, & copiarum summa. nondum *Armilla*, torques, aut *brachialia*; nisi fortassis concinnata è floribus, plebi innotuerant, aut *Margaritæ* erant illis in pretio. nudi penè incedebant, vitam degebant hilarem. neque vastos congerendi thesauros, aut rei familiaris augendæ, veluti de futuro parum sollicitos, cura euigilabat. in diem viuebatur, indulgebatur genio, humili sorte, sed tranquilla & felici, & potissimis naturæ bonis magna cum iucunditate potiebantur. Semen *Cacuanal* erat illis pro nummo, & eo præcipua vitæ præmio, cum opus erat, comparabantur. duratq. in hodiernum vsque diem non